

mine perpetrato confestim pensionem amittere, aliquando autem post sententiam; dum jus ipsum statuit delinquentem sua pensione privandum. Pensio autem citra simoniam redimi non potest repraesentata pecunia, factis videlicet quibusdam anticipatis pecuniarum solutionibus ad eam summam, quae inspectis quantitate pensionis, et aetate pensionarii, aut aliis circumstantiis inter beneficiarium et pensionarium constituta sit. Inest enim hujusmodi redemptionibus quoddam commercii genus, quod labem simoniacam redolet. De pactis abolendi et cessandi pensiones per solutiones hujusmodi anticipatas, deque venditione reddituum beneficiorum vel ad longum tempus prodiit duplex Constitutio Benedicti XIV quarum altera incipit IN SUBLIMI, altera vero UNIVERSALIS ECCLESIA edita quarto Kalendas Septembris anni 1744. Huc spectat Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium editum die 17 Martii 1840, videlicet: « Cum ad SSimum Dominum N. certo relatum fuerit complures ex iis qui pensiones ex Apostolicae Sedis benignitate super Ecclesiastica beneficia sunt adepti, pacisci statis conditionibus cum eo qui sibi certam pecuniae summam numeraverit, ut deinceps vel ad tempus, vel ad vitae ipsorum exitum libere easdem praestitutis temporibus a Beneficiario percipiat, cumque pactiones hujusmodi pro contrahentium arbitrato licentius conciliatae indecorum quoddam de iis commercium videantur inducere, quod fideli populo admirationi quandoque est, viamque sternant forensibus actionibus, quae non sine Ecclesiasticae rei dedecore publice instituuntur, atque illud praeterea ut plurimum inferant damni, et brevi insumantur quae in totius vitae commodum liberalitas Pontificum impertiverat; eadem Sanctitas Sua pro ea, qua praestat, impensissima sollicitudine ad haec aliaque id genus mala ex libero earum conventionum usu gliscentia praecavenda, de Apostolicae potestatis plenitudine districtè mandavit, ne in posterum liceat memoratos contractus, quibus unica etiam, quam dicunt, commoditas

pensionis percipiendae in alium transferatur, quovis cessionis, translationis, alienationis titulo de pensionibus Ecclesiasticis conficere, nisi habito prius de ea re speciali Apostolico Beneplacito. Hoc porro Decretum per Cong. Negotiis et Consultation. EE. et RR. praepositam edi et in ejusdem notis servari, illudque executioni per eos ad quos spectat mandari jussit; contrariis quibuscumque non obstantibus. »

## CAPUT IV.

## DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

## § 110.

DE JURE ECCLESIAE IN BONORUM ECCLESIASTICORUM  
ADMINISTRATIONE.

Rerum Ecclesiasticarum administrationem ad Ecclesiam, hoc est ad Praelatos et Rectores Ecclesiarum pertinere duobus argumentis evincitur. In primis enim bonorum administratio ad eos pertinet, qui earundem rerum potiuntur pleno dominio, vel saltem utili. Plenum quippe dominium facultas est de re disponendi, adeoque pro libitu administrandi: dominium autem utile jus est rei fructus, et utilitates omnes ex re ipsa percipiendi, ac proinde eandem tenendi et curandi, quibus actibus administratio continetur. Quapropter in omni re primum et praecipuum est dominium plenum vel utile; administratio autem suapte natura consequitur, seu ut tritum est in jure axioma « accessorium sequitur principale. » Cum igitur in rebus Deo et Religioni dicatis dominium saltem utile ad personas ecclesiasticas pertineat, consequens est ipsarum quoque curam et administrationem ad easdem personas jure suo pertinere. Alterum argumentum ex perpetua Ecclesiae praxi



desumitur; namque in veteri foedere ea bona, unde Sacerdotes et Levitae vivebant, ac Civitates et Suburbana eisdem pro ministerio attributa sub ipsorum plena administratione et potestate manebant. Sub novo autem foedere Apostoli collectas fecerunt, aut faciendas curarunt, ipsique a fidelibus acceptas distribuebant. Demum ne procuracione rerum temporalium a ministerio distraherentur, non laicos sed septem Diaconos constituerunt, qui curae earumdem rerum, rectaeque distributioni praessent.

Haec quasi exempla et documenta quaedam a Deo et ab Apostolis ad imitandum sibi proposita, Ecclesia religiosissime, quantum licuit, semper sequuta est. Hinc Concilia et Pontifices nihil sanctius et antiquius habuerunt, quam ut ab omni ecclesiastico patrimonio manus laicorum omnino removerent. Quis Canones singulos ea de re conditos exponere et numerare poterit? Satis sit audire Patres Concilii Lateranensis I, qui tom. VI part. 2 Conciliorum apud Harduinum column. 1895 haec habent: « Apostolorum Canonibus statutum est, ut omnium negotiorum ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, et ea veluti Deo contemplante, dispenset. Item in Antiocheno Concilio statutum est, ut quae sunt Ecclesiae... conserventur, quae et dispensanda sunt iudicio et potestate Pontificis, cui commissus est Populus et animae... Item Stephanus martyr scribit Ep. 2 cap. 10 laicis, quamvis religiosi sint, nullis tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas, neque deinceps fieri permittimus.

## § 111.

DE ADMINISTRATORIBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM EORUMQUE OFFICIIS.

Sed operae pretium est aliquid proferre eorum, quae de rerum ecclesiasticarum Administratoribus, eorumque officiis a

Sacris Canonibus constituta et praecepta sunt. Prioribus saeculis res omnes Ecclesiarum totius Dioecesis ab Episcopo administrabantur, Canones sic dicti Apostolici 31 et 34; Concilium Antiochenum can. 24 et 25; et Cyprianus Ep. 38. Verumtamen Episcopis, ne ipsorum administratio sine testibus esset, tum etiam ut aliqua curarum parte levarentur, utendum fuit ministris, praesertim Archidiacono et Oeconomom, a quibus tamen eisdem Episcopis, tanquam principibus Ecclesiae Rectoribus ratio administrationis reddenda erat. Quin imo ex. can. 26 Concilii Chalcedonensis sub poenis canonicis cautum est, ut in qualibet Ecclesia Episcopali Oeconomus ex Clero constitueretur, cui sub Episcopo cura temporalium demandaretur, et can. 11 Concilii Nicaeni II Metropolitae aut Patriarchis collata est facultas in Ecclesiis suae Provinciae Oeconomis constituendi, si qui eis suberant Episcopi, ea in re negligentes reperissent.

At cum ecclesiastica bona divisa fuerint, loco unius Episcopi alii Administratores emergerunt; namque administratio beneficiorum Beneficiatis tributa est, itemque bona Ecclesiarum aut fabricae, aut aliis piis usibus destinata a Rectoribus earumdem Ecclesiarum, nisi aliter fundatoribus placuerit, administrantur; similiter Hospitalia, Confraternitates, Locaque Pia suos Administratores habent jure foundationis, qui tamen Episcopis subsunt, si ipsorum auctoritate ea loca erecta sint: laicalia vero saltem debent eisdem Episcopis rationem reddere gestae administrationis ex decreto Concil. Trid. sess. 7 cap. 15 de Reform., et sess. 22 cap. 8 et 9 eod. tit. Demum Monasteria res et bona propria administrant, cujus administrationis jure exemptionis nullam rationem Episcopis reddunt.

Jam vero, ut erat propositum, de officiis Administratorum dicemus, quae quidem tria sunt praecipua. Itaque in primis quicumque Ecclesiarum Piorumque Locorum curam atque administrationem suscipiunt, ex decreto Concilii Viennensis



relato in cap. *QUIA CONTINGIT* de Relig. dom. in Clement., « instar tutorum et curatorum juramentum praestare de fideliter administrando, de locorum ipsorum bonis inventaria conficere, et Ordinariis seu aliis quibus loca hujusmodi subsunt vel deputandis ab eis, quotannis de administratione rationem reddere tenentur. » Hac lege de inventario rerum omnium tum mobilium, tum immobilium diligenter conficiendo continentur etiam Capitula, Collegia, Rectores beneficiorum etiam simplicium et jurispatronatus, omnes denique Ecclesiae: qua de re confer Constit. Sixti V incip. *PROVIDA* editam anno 1586.

Alterum munus est omni cura industriaque providendi, ut beneficia et loca quaecumque ecclesiastica nullum capiant detrimentum, sed sarta tecta custodiantur, eorumque conditio, quantum licet, melior efficiatur. Quapropter ipsorum est, ut aedificia, si reparatione indigeant, opportune reparentur, praedia vero, si inculta fuerint, excolantur, alienata vindicentur, possessa augeantur, pericula obnoxia defendantur, deperdita recuperentur, debitores demum ad solutionem compellantur. Quod si ipsorum culpa aliquid Ecclesiae deperiisse comperiat, aut deterius factum sit, uti si in fundis vites, aut quid simile fructiferum succidatur aut evellatur, damna quaecumque proprio beneficiati vel administratoris aere resarcienda sunt, quemadmodum tutoribus, publicisque procuratoribus jura diserte praescribunt.

Denique pecunia Ecclesiarum, seu Locorum Piorum et redditus omnes fideliter ab administratoribus in eos usus impendi debent, quibus ex pia fundatione vel fundatorum mente sunt specialiter deputati. Clerici etiam fructus beneficiorum quae possident, suae honestae decentique sustentationi superfluos erogare in pauperes debent, aliasque pias causas, nec possunt absque gravi peccato in convivia, ludos, venationes, et similes profanos usus impendere, aut consanguineis elargiri, nisi tanquam pauperibus, si vere pauperes sint, et tunc ut

minus egeant, non ut ditescant. An vero hujusmodi obligatio superflua in usus pios impendendi ex stricta justitia oriatur, an ex lege caritatis et misericordiae, an ex virtute Religionis, an denique ex positivo Ecclesiae praecepto, quaestio est, de qua vide Bened. XIV de Syn. Dioeces. lib. 7 cap. 2.

Omnis vero rerum et honorum alienatio sub gravissimis poenis interdicta est, de qua distincte agendum. Sit itaque.

## § 112.

## DE REBUS ECCLESIAE NON ALIENANDIS.

« Sicut Ecclesia perpetua Religionis et fidei mater est, ita decet ut ejus patrimonium jugiter servetur illaesum, » ut optime aiunt Imperatores Leo et Anthemius L. *JUBEMUS* 14 Cod. de SS. Ecclesiis. Sane interest Ecclesiae, ut perpetuo suppetant subsidia temporalia, quae ad obeundum divinum cultum, alendos ministros, et fovendos pauperes requiruntur: interest, ne vota fidelium, patrimonium pauperum, res Dei diripiantur aut distrahantur, « quo Deus iratus animas percutit, » cap. 6 hoc tit. « Nam amico quidpiam rapere furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est, » can. *GLORIA* 12, q. 2.

Spectat vero alienandi interdictum omnes Ecclesias, Capitula, Beneficia, Mensas Episcopales, Monasteria et Loca omnia pia et religiosa quae nomine Ecclesiae intelliguntur. Nomen etiam alienationis in hac causa late accipitur, continetque non solum dominii translationem venditione, donatione, aliove titulo factam, sed etiam permutationem, emphyteusim, locationem ultra triennium utile, oppignerationes, hypothecas, impositionem novi gravaminis, servitutis, census: denique pacta quaelibet per quae dominium Ecclesiae sive directum, sive utile, vel usufructus in alium transferatur.

Res autem Ecclesiae, quarum interdicta est alienatio, sunt



res immobiles, vel res mobiles pretiosae, quae servando servari possunt, Extravag. *AMBITIOSAE* hoc tit. Immobilibus aequiparantur jura incorporalia, decimae, loca montium, census annui, nomina debitorum, actiones, aliaeque ejus generis, de quibus cap. 1 et 2 de reb. Eccl. non alien. in 6, et L. final. Cod. eod. titulo. Item immobilibus accensentur res solo cohaerentes: quippe mobile immobili cohaerens immobile censetur, uti arbores solo adfixae, quae non sunt separatim corpus a fundo, L. 41 ff. de act. empti. Excipiuntur tamen in hac causa silvae caeduae, nemora, arundineta, aliaeque arbores, quarum fructus fere totus in earum succisione consistit, quae succisae renascuntur, et quarum succisione nulla ratione deterior fit fundus. Rerum enim istarum succisio inter praediorum fructus censetur, de quibus disponere licet: sed in locum demortuarum aliae submittendae sunt.

Mobilia pretiosa praecipue aestimantur vel ex materia, ceu aurum, margaritae; vel ex forma uti picturae, opera testilia, et alia id genus, quae ob artem vel antiquitatem ad thesaurum Ecclesiae pertinent; vel demum ex magna utilitate ob annuos fructus, uti grex ovium. Mobilia autem non pretiosa ea dicuntur, quae nec magnam utilitatem, nec singularem splendorem, aut ornamentum, aut opulentiam Ecclesiae praestant. Denique ex rebus mobilibus aliae servando servari possunt, uti bibliotheca, vasa, etc.; aliae diutius asservari non possunt, sicuti oleum, frumentum, aliaeque hujus generis.

Jam vero res Ecclesiae immobiles, vel mobiles pretiosas, quae servando servari possunt, sub gravissimis per Sacros Canones et Pontificias Constitutiones statutis poenis alienare vetitum est, toto titulo de rebus Eccl. non alien. Excipe tamen cum Clement. I eod. tit., « nisi necessitas, aut utilitas Monasterii, Prioratus, Ecclesiae, aut administrationis hujusmodi hoc exposcat. » Sane prudentis administratoris est consulere bono communi cum aliquo detrimento partium, et ecclesiastici patrimonii partem aliquam detrahere, ut Ecclesiae

major utilitas procuretur, vel ab ea gravius detrimentum avertatur. Sic enim res non disperditur et dissipatur, sed ita impenditur ut magis prosit.

## § 113.

## DE LEGITIMIS CAUSIS ALIENATIONIS, ET SOLEMNITATIBUS.

In primis itaque necessitas facit, ut res ecclesiasticae alienari possint, veluti si fructus non sufficiant necessariis Ecclesiae sumptibus, aut Clericorum sustentationi, aut aeris alieni solutioni. Quia vero jus necessitatis stricte sumendum est, non licet longius progredi quam necessitas poscit. Quamobrem alienatio inchoanda est a rebus mobilibus, quae ad ornatum pertinent, aut minus necessariae sunt, nec ad perpetuam alienationem procedendum, si per locationem, oppignationem, vel alium contractum, quo proprietates et plenum rei dominium non transfertur, necessitas levare possit. Justam quoque causam alienandi ecclesiastica bona evidens Ecclesiae utilitas praestat, cum nempe ex alienatione longe melior fit Ecclesiae conditio, puta si sterile praedium pluris vendatur, ut ex ejus pretio fructuosum comparetur, si silvestria loca aut aedificia ruinosae dentur in emphyteusim excolenda vel reficienda, vel si longius remota praedia cum propinquis aut finitimis commutentur, quae curari facilius possint.

Porro si evidens Ecclesiae vel Loci Pii necessitas aut utilitas alienationem aliquarum rerum suadeat et postulet, nemo adhuc quocumque modo alienare poterit, nisi solemnitates per Sacros Canones praescriptas accurate custodiat. Et olim quidem Episcopis permissum erat arbitrium res Ecclesiae distrahendi: eorum enim judicio disquirendum relinquebatur, num legitimae subessent alienationis causae. Haec vero Episcoporum potestas cohibita deinde est, atque constitutum, ut si res immobilis vel mobilis pretiosa distrahenda esset, in Sy-



nodo Provinciae alienatio decerneretur. Demum quum forte Synodi evasissent rariores, ea disciplina inducta fuit, ut alienatio totius Cleri tractatu, consensu et subscriptione, atque Episcopi auctoritate celebraretur, can. 52 et 53 caus. 12 q. 2. Cum vero hodie Collegia, seu Capitula Canonicorum vicem gerant Cleri, et in Monasteriis eandem vicem gerat Conventus Monachorum, hinc si qua bona ecclesiastica quae ad Ecclesias Cathedrales, aut etiam ad mensam Episcopalem, vel ad Capitulum, vel ad Monasterium, aut Ecclesiam Collegialem pertineant, vendi, permutari, aut alia ratione alienari velint, requiritur ut Praelatus cum Capitulo seu Collegio rite congregato consultet, conducat alienatio nec ne ad Ecclesiae utilitatem, eoque in negotio ea sententia valet, quae Capitulo universo, vel saltem majori parti placuerit. Ubi vero agatur de bonis Ecclesiarum, quae Capitulum aut Collegium non habent, alienatio ab Ecclesiae Rectore unius Episcopi inquisitione et decreto celebratur, salvo beneplacito Apostolico de quo infra.

## § 114.

## DE BENEPLACITO APOSTOLICO.

Verum praeter causam et solemnitates jam expositas, adhuc etiam ex celebri Constitutione Pauli II in Extravag. *AMBITIOSAE* de rebus Eccl. non alien., in quavis alienatione rerum ad Ecclesias vel Loca Pia pertinentium requiritur consensus Sedis Apostolicae, seu Beneplacitum Apostolicum sine quo alienatio tum illicita est, tum etiam invalida, et contrahentes gravissimas poenas subeunt in eadem Constitutione inflictas. Si qui contrahant cum clausula *reservato beneplacito Apostolico*, actus ita gestus subsistere nequit, si ante Apostolici Indulti concessionem possessio rerum tradatur, aut si in contractu apponatur clausula *constituti*, quae vim habet transferendi posses-

sionem; imo et concedentes et possessores, tanquam intrusi, excommunicationis poenam non effugiunt.

Dubitant Doctores, an iis in locis ubi praefata Constitutio Pauli II moribus recepta non est, alienationes absque Beneplacito Apostolico initae (si tamen causa utilitatis aut necessitatis subsit, et caeterae solemnitates observentur) licitae et validae habendae sint. In quo illud etiam maximam dubitationem affert, quod Episcopi et Abbates in eorum consecratione vel benedictione iuramentum praestant, nullam se alienationem rerum ecclesiasticarum aggressuros esse inconsulto Romano Pontifice. Gravissimam quaestionem pro dignitate tractare, nimis longum foret: itaque confer Benedictum XIV de Syn. Dioeces. lib 12 cap. 8, cujus etiam ea in re valde prudens ac tutius consilium est, ut Episcopi ad exemplum Sanctissimi Praesulis Caroli Borromei, si forte in ipsorum Dioecesibus perspexerint eam consuetudinem alienandi adversus formam Paulinae Constitutionis invaluisse neque ipsam consuetudinem fulcire et corroborare, neque etiam improbare et divellere moliantur, priusquam Apostolicam sedem consuluerint.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus sine Beneplacito Apostolico alienatio bonorum ecclesiasticorum ubique licita est et valida, si in reliquis debita forma peragatur. Prima exceptio est, quando agitur de alienatione rei etiam immobilis, sed modici valoris, cujusmodi sunt praediola et vineolae, aliaeve res quae viginti quinque ducatorum, vel quadraginta circiter Romanorum scutatorum valorem non excedunt, cap. *TERRULAS* 53 caus. 12 quaest. 2. Rite enim recteque alienari possunt accedente Ordinarii auctoritate. Haec eadem facultas, ex decreto Congregationis Concilii 17 Novembris anni 1703, relato a Cardinali Petra in Commentarium ad Constitutionem 5 Pauli II tit. 9 n. 70, competit etiam Abbatibus vere *nullius*, non vero aliis Superioribus Regularibus etiam majoribus, ex decreto Congregationis Episcoporum et Regul. in *Tropejen*.



*Alienationis* 11 Januarii 1692, relato a Monacelli in Form. Fori Eccl. tit. 5 form. 15 n. 28, quin in hujusmodi rerum exiguarum alienatione indigent licentia et decreto Ordinarii ut firmat etiam Benedictus XIV Instit. eccl. 19.

Secunda est cum agitur de bonis quae in emphyteusim dari consueverunt; tunc enim si redeant ad Ecclesiam, sine novo Apostolico indulto in emphyteusim iterum concedi possunt, dummodo tres seruentur conditiones, nempe: 1. Ut consuetudo locandi seu in emphyteusim concedendi, rite comprobetur vel per duas alienationes emphyteuticas minus solemnes, quae spatio annorum quadraginta effectum sortitae sint, vel per unam solemniter factam. Haec enim sunt legalia media, quibus consuetudo alienandi comprobatur. 2. Ut dicta bona priusquam alienatio renovetur, non sint iterum Ecclesiae unita, seu, ut aiunt, incorporata, S. Congregatio Concilii in una *Salutarium* 20 Septembris an. 1624 lib. 17 Decret. pag. 103. 3. Est, ut non aliter in emphyteusim dentur, quam dari consueverunt, servata scilicet antiquae concessionis forma, et meliorata Ecclesiae conditione. Quapropter renovatio irrita nullaque est, si in pretio vel in modo, aut alia qualibet ratione alteratio sequatur in damnum Ecclesiae, puta si canon quam minimum imminutus fuerit, si renovatio ad quartam generationem protracta, dum priores concessionis tertiam tantum generationem complecterentur, aut etiam si tempore factae renovationis, aut novae concessionis evidens Ecclesiae utilitas legitime non fuerit probata; nam, ut docet Cardinalis Petra Comment. ad Constitut. Apostol., tom. I Constitut. I Leonis M. sess. 4 n. 135, « in casu novae alienationis ejusdem rei requiritur nova utilitatis cognitio, nec sufficit illa quae in prima alienatione semel adfuit, non ex alia ratione, quia utilitas in Ecclesia semper adesse debet, quoties rem suam a se abdicat. » De quo confer etiam auctores apud eum citatos.

Tertia exceptio est in bonis etiam immobilibus donatis, aut

legatis Monasterio incapaci possidendi bona immobilia etiam in communi, sicuti Fratres Cappucini, et Minores de Observantia; tunc enim bona praefata absque solemnitate alienari, eorumque pretium in Ecclesiae necessitatem, et quotidianos usus Monasterii converti posse, docent communiter Doctores, tum quia bona illa Monasterio incapaci relicta, non sunt Ecclesiae incorporata, tum quia ipsorum alienatio necessaria est juris seu status et regulae necessitate.

Quaestio hic agitur, num Praelatus sine solemnitatibus valeat haereditatem, legatum, aut donationem Ecclesiae factam, eique non inutilem repudiare? Hac in re negantium sententiam sequimur ob plures rationes, et: 1. quidem, quia in hac causa alienatio latiori sensu accipitur, proinde ejus quoque nomine demissio venit juris, tanquam rei incorporalis, praesertim quum Ecclesia dominium rei sibi donatae absque speciali acceptione acquirat. 2. Quia repudiatio legati pupillo relicti absque Praetoris decreto non valet, « cum res sit pupilli » L. MAGIS 5 ff. de reb. eorum qui sub tut.; nec ergo repudiatio valida esse poterit intuitu Ecclesiae, quae jure minorum et pupillorum gaudet. 3. Quia hujusmodi repudiatio non mera est in acquirendo negligentia, sed vera juris jam quaesiti, et pretio aestimabilis abdicatio; cum vero jus illud non Praelato, sed Ecclesiae delatum sit, ita nec ab eo, ceu jus haud suum, poterit repudiari. Textus juris in speciem contrarii, quibus sententia adversariorum superstruitur, spectant alienationes stricte sumptas, aut versantur in materia odiosa, ubi vocabulum alienationis arctiori sensu accipiendum est: hic vero agitur de favore Ecclesiae ubi res largiori acceptione sumenda est, et in dubio is sensus recipiendus, qui magis causae piae et Ecclesiae favet, L. SUNT 43 ff. de relig. et sumpt. funer.

Porro si non ex justa causa, et posthabitis solemnitatibus jure canonico praescriptis, res Ecclesiarum quaecumque alienatae sint, alienatio prorsus invalida et nullius roboris est,